

**De aneurysmate, disputatio inauguralis medica ... / [Jeremias Cunradus Cellarius].**

**Contributors**

Cellarius, Jeremias Cunradus, active 1677-1679.  
Metzger, Georg Balthasar, 1623-1687.  
Universität Tübingen.

**Publication/Creation**

Tubingae : Typis Joachimi Heinii, 1679.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ebezxkj6>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

# ANEVRYSMATE

DISPUTATIO INAUGURALIS  
MEDICA,

QUAM

FAVENTE TERSANCTA TRIADE,

JUBENTE GRATIOSISSIMA FACUL-  
TATE MEDICA INCLUTÆ EBERHARDINÆ,

P R Æ S I D E

DN. GEORG. BALTHASARE METZ-

GERO, Med. Doct. Prax. Anatom. & Botan. Prof. Publ.

Facult. p. t. DECANO Spectatissimo, Patrono, Præ-  
ceptore & Hospite suo debitæ observan-  
tiæ non intermorituro cultu pro-  
sequendo,

*Pro LICENTIA*

*Supremos in Arte nostra Honores & Privilegia*  
*Doctoralia legitimè consequendi,*

Publicæ Disquisitioni subjicit

M. JEREMIAS CUNRADUS CELLARIUS,  
TUBINGENSIS.

*Ad Diem 28. Februarij. Horis Antemeridianis.*

IN AULA NOVA.

---

TUBINGÆ,


Typis JOACHIMI HEINII,

ANNO M. DC. LXXIX.









Σὺν Θεῷ.

**A**ndem ergò, quod felix faustumque esse velit  
SUPREMI NUMINIS GRATIA quali-  
tercunque continuato hætenus Studiorum Aca-  
demicorum cursui ultimam metam præfigit In-  
auguralis Disputatio, cujus hæc esto

T H E S I S I.

**A**ffectus scopo nostro selectus Arabibus *Aporysma*,  
nobis, ut alia nomina taceamus, *Anevrysma* com-  
muniter appellatur, nomine Græco quidem & pe-  
regrino, sed dudum Romanâ donato civitate, de cujus  
& aliorum origine genuinâ curiosè disceptant illi, qui-  
bus aliàs ætas omnis circa otiosas criticarum subtilita-  
tum argutias vertitur. Alii enim ἀπὸ τῆς Νευρῆς καὶ αὐτοῦ  
καὶ derivatum Latinè *Enervationem* verterunt; Plures  
cum *Iohanne Gorraeo definit. Medicar. l. 1.* ortum vocabuli  
apertiore nomenclaturâ ἀπὸ τῆς ἀνὰ, particulâ præpositivâ  
& ἐνρύνειν, quod dilatare est, petere maluerunt, quòd eâ-  
dem ratione ex arteriarum dilatatione anevrysma, ut ex  
venarum varices nasci crederent; vid. *Felic. Plater. tr. 3.*  
*Prax. de extuber. c. 3. Iodoc. Lomm. l. 2. Med. Observ. circa*  
*fin.* Sed hæc cum magni adeò usus non sint, obiter sal-  
tem tetigisse sufficiat de posterioris Etymologiæ funda-  
mento plura dicturis infra, ubi de causa immediata hu-  
jus Affectus agendum erit, nunc verò ad ipsam *Definitio-*  
*nem* properantibus.

II. Definimus ergò, pace eorum, qui contrarium sen-  
tiunt,



tiunt, *Anevryisma tumorem præter naturam sanguineum subcutaneum, sensim excrecentem, continuò pulsantem, digitis faciliè cedentem, sed illicò sese denuò extendentem, à sanguine arterioso in subcutaneas & musculorum cavitates extravasato dependentem.*

III. Tumorem p. n. esse Anevryisma nobiscum Veterum ferè omnes, *Galenum de tumor. p. n. c. 12.* ceu ducem secuti, largiuntur, nec, ut aliud sentiamus, *Michaelis Dorin-gij ἀνευρυσμολογία*, ut ipse vocat, nos movet, videnda in *Epist. Resp. ad Fabric. Hildan. c. 3. Observ. Chir. 44.* Alios nodos *Julius Caesar Claudinus Consult. Medic. 67.* extricat. Necessarium enim affectæ partis tumorem extravasata materia suadet, persuadent sensus, qui tamen modò major modò minor occurrit, pro spatij, in quod excidit humor, amplitudine materiæque copia: *Sanguineum* autem tumorem dicimus; nec enim, quod scimus, Authorum, qui veri Anevrysmatis mentionem faciunt, ullus aliam huic à sanguine causam assignat. An autem sanguis hic melancholicus potius peccet aut necessarius sit, quàm alius quicunq̃ue, asserere non ausimus, utut pro illo *Thomas Bartholinus* non unum effugium quærat proprio *Trat. de Anevrysm.* consulendus: calidiorem enim, si omninò electio aliqua locum habet, spirituosum & tenuem sanguinem, qualis maximè arteriosus est, ruptioni & eruptioni magis aptum esse, quàm frigidior, crassior, & ad motum segnem, vel nobis non monentibus iudicatu cuius facile est, ipseque *Galenus & Felix Platerus loc. cit.* consentiunt.

IV. Tumorem porrò *subcutaneum* dum innuimus, digitum simul in *locum affectum* seu *subjectum* intendimus: In subcutaneis namque recessibus & musculorum interstitiis extravasatus sanguis latet, hîc restagnat, & tumorem hunc attollit, teste *ἀνωψία* & iudice ratione, ut  
mox



mox pluribus circa Causam docebitur. In specie autem circa guttur frequentissimè fieri ex *Aëtio* plurimi referunt, non rarò tamen etiam in pectore deprehensum fuit, teste *Dodoneo Observ. Med. 51. Iohanne Rhodio cent. 2. Observ. Med. 36.* in brachiis & genubus *P. Barbette Prax. l. 2. c. 3.* juxtà mesenterium in ostio ventriculi eodem *Dodoneo Authore*, juxtà lienem apud *Iodocum Lommium l. d.* ut & in aliis corporis partibus ad loca arteriarum, Autoribus hincinde testantibus.

V. Causam vocavimus *sanguinem arteriosum* in loca dicta *extravasatum*. Extravasationem hanc in omni veri Anevrysmatis generatione oppidò necessariam esse, & ab arteriæ factâ p. n. secundum utramque tunicam apertione dependere, *Galen*i non modò autoritate, omniumque ferè *Græcorum & Arabum* consensu, ut videre est apud *Iohannem Baptistam Sylvaticum Tr. de Anevrysf.* sed & *Recentiorum* multorum applausu, oculatâ experientiâ, invictis rationibus convicti statuimus, quicquid contrà sentiant cum *Iohan. Fernelio l. 7. de Extern. Corp. affect. c. 3. Fabricio Hildano c. 3. Observ. Chirurg. 44. Michaele Doringio l. c. Daniele Sennerto. l. 5 Prax. p. 1. c. 43. Bernhardo Suevo de vulner. inspection. part. 2. c. 11. Gregorio Horstio l. 4. part. 2. Observ. Medic. sing. 1. Lazaro Riverio Prax. Med. l. 12. c. 5. &c.* Recentiorum plurimi, qui dilatatam solùm arteriam & quidem vel secundum utramque tunicam integram, vel secundum exteriorem solùm, interiore ruptâ, volunt, aut causam utramque cum *Robert. Dodoneo Obs. Med. c. 51. Roderico à Fonseca. l. 1. Consult. Medic. 60. Platero l. c. Paulo Barbette Chirurg. l. 2. c. 16.* conjungunt, jam ruptam arteriam, jam dilatatam urgentes. Utramque veriùs tunicam ruptam, Tumoremque hunc ab effluxu sanguinis arteriosi in intercutanea interstitia oriri persuadet nobis certissima rerum



omnium magistra, experientia, dexter Medicinæ nostræ oculus, quæ levi cutis tumore obductæ sectione factâ sanguinem inter cutem & musculorum interstitia delituisse apertè ostendit, profiliitque hinc tantâ subinde abundantia, ut nullo pacto amplius sisti in quodam potuerit morte insecutâ apud *Platerum l. c.* In anevrysmate Neapolitano *Thomas Bartholinus*, ad levem cutis incisionem non modò sanguinis ichorosi ad primum exitum promptioris copiam obviâ habuit, sed & amplissimo inter musculos cubiti pronatores radij, flexores articulorum carpique spatio, sanguinis crassioris & in grumos prope modum concreti largiorem quantitatem per totum musculorum tractum capaci alveo diffusam, arteriamque ipsam ruptam animadvertit; pariter Hafniæ idem observavit, ruptâ arteriâ crurali, grumosum sanguinem parenchyma hepatis referentem in sinibus inter musculos vastos efformatis *c. 3. Epist. Medic. 54.* Idem *Iohannes van Horne* in Anevrysmate Venetiis examinato notavit, & quod singulare est & paucissimis visum, inter suræ musculos, Gemellos Anatomicis dictos, carneum globum coctorum musculorum parenchymati colore & consistentiâ similem, ex effuso sanguine per longam moram ibidem digesto, exortum vidit, ut pluribus explicat in *Epist. Thomæ Bartholini Historiæ anevrysmatis Neapolitani* annexâ. Clarissimus *Fehrius* Poliater Suinfurtenensis paria animadvertit in duabus historiis apud *Thom. Bartholinum. c. 3. Epist. Medic. 53.* Plures, quas hinc inde curiose collegerunt Autores, observationes, cum nec instituti nostri ratio nec pagellarum angustia admittat, consultò omittimus.

VI. Pleniorē adductis observationibus fidem foerantur invictæ rationes: siue enim internam siue externam Anevrysmata causam agnoscat (quo de duplici causarum



farum ordine fusiùs in seqq. visuri sumus) concipi non potest, imò manifestam impossibilitatem alit, alterutrâ tunicarum ineriori vulneratâ aut ruptâ, externam alteram tantùm dilatarî. In priore casu aut causâ tale quid non fieri, inductum ab externo lædente vulnus satis superque docet, quod externam internamque tunicam, utpote proximâ invicem vicinitate junctas necessariò afficit, non inficiantibus his ipsis, quos hîc adversantes habemus: coalescere autem statim exteriorem & post distendi, internâ ob crassiores substantiæ conditionem non ita facilè ad pristinam unionem redeunte, assensum meum, scribit *Bartholinus*, nudâ assertione non impetrat *Hildanus*; sin coaluisse demonstrârit, eodem momento ab impetu irruentis humoris crudam adhuc à vulnere plagam recludi, magnâ verisimilitudine reponam, *l. c.* Nec aliter internam operari causam posse indubio nobis argumento est ipsa tunicæ utriusque conditio & ordinaria textura: Tenuis externa est, venarum reticulo nihil fortior, aranearum telis similis, interna contrâ crassitie ferè quintuplò major, durior insuper in transversas fibras dissoluta; quod non modò *Galenus* confitetur 7. περὶ ἐγχειρήσ. c. 5. sed & Anatomicorum omnium consensus approbat: quî E. cedat hæc tam facilè, illa resistat? Non satis ob ingenij infœlicitatem percipio, verba iterum sunt ingeniosissimi *Bartholini*, quo robore rarioris texturæ tenuisque velaminis contineatur sanguis arteriosus ebulliens, quem densiora obstacula non potuerunt sistere? Probabile magis est, ut in inflatis utribus, quo idem exemplo utitur, ita & hîc, faciliùs exteriorem pelliculam rumpi quàm interiorem, ob maiorem continentis quàm contentæ sub eâ proximè membranæ distensionem; alias inconvenientias & difficultates, quibus adversa opinio premi-

tur,



tur, nunc non movebimus, pariterque reticebimus speciosas plures rationes, quas urgent undique, commodius fortè discursui reservandas, quàm breviculo pagellarum harum compendio diluenda.

VII. Remoratur tamen nos ad ulteriora properantes, quod omnium ferè *Dd.* qui de Tumore nostro scripserunt, ingenia fatigavit, dubium, cur extravasatus sanguis corruptionem aut putredinis labem non concipiat secundum 6. *Aphor.* 20. cur color à naturali cutis constitutione non variet? Nos operosè huc non trahemus, quam *Bartholinus* ex alieno ore à fibrarum juncturâ & connexionem conservationis causam adducit, nec ut *Sylvaticus* & *Platerus* faciunt, sanguinis in arteriam, unde effluxit, retrocessum causabimur; Utramque enim opinionem hanc idem *Bartholinus* jam satis suspectam reddidit *l. c.* nec pro humore melancholico seu atrabile, quæ varia pro *Vesalio* idem collegit, subsidia nunc examinabimus. Sed quod nobis vero perquam simile videtur, pace omnium, qui contrà sentiunt, liberè dicemus: conservationem nimirum illam sanguinis temporaneam fortè superstiti adhuc ejus, utut extravasati motui deberi, quam sub continuo partis pulsu, nisi qui sensum manifestissimum in dubium vocare velit, negare nemo potest, fitque hic à novo sanguine continuo per arteriæ hiatus impulso, calido, spirituofo, qui in extravasato etiam ebullitionem excitat, fluidum eundem conservat & imaginem quandam motûs pulsationis fingit. *vid. Hornium de Aneur. Venet.* Notanter autem diximus, conservationem temporaneam: Nec enim perpetuam hanc à sensibili corruptione immunitatem sibi promittere extravasatus hic sanguis potest, sed quamdiu nondum adeò aucto in nimiam molem tumore libero adhuc vigorosus sanguis influxu gaudet: occupatis



autem jam maximam partem intermuscularibus spatiis, ipsoque tumore majus jam incrementum adepto, in exiguâ quantitate influens imparibus sine dubio viribus opus hoc tentat, sensimq; deficiente vigoratione naturalis color in violaceum, vividus in lividum degenerat, tandemque complementum perfectæ corruptionis seu putredinis cum satellitio suo, gangrænâ & sphacelo, funestâ catastrophe tragoediam finiunt, subscribentibus tragicis hinc inde obviis casibus. Unde circa alteram objectionem admirationem non meretur, si sub extravasato etiam hoc sanguine partes suam naturalem colorem non exuunt, ut in contusionibus, &c. usu venire solet; nec enim extravasatus quocunque modo sanguis sensibilem statim corruptionem experiri necessum habet, sed Naturæ regimine calorisque influxu penitus destitutus; secus idem metuendum de eo, qui in futuram nutritionis spem in partes carnesque illabitur, aut residuus à partium nutritione in vasa redit. Subinde tamen, quando proximior cuti humor extravasatus est, hanc rubescere magis ac tingi, rationi & experientiæ contrarium non est.

VIII. Sed ad *Causas Mediatas* pergimus, quas inter *proximiores* sunt arteriarum variæ sive per ἀναστόμωσιν, sive διαίρεσιν, sive διαπήδησιν, sive διάβρωσιν, p.n. factæ apertiones. *Platerus* primam inter causas internas, osculi arteriarum apertionem, reserationem sive ἀναστόμωσιν, potissimum accusat, quâ factâ sanguini, ut exilire possit sub cutem, via patet. *Paulus Barbette* διάβρωσιν, seu erosionem etiam efficacem vidit *prax l. 2. c. ult. §. 9.* Διαπήδησεως *Iohannes Baptista Sylvaticus l. c. Iulius Caesar Claudinus Consult. Medicar. 67.* mentionem faciunt; omnium tamen frequentissima inter causas externas διαίρεσις seu sectio arteriarum sine dubio censenda, ut ex mox dictis plenius patebit.



IX. Inter *remotiores* disponunt ad facilem arteriarum apertionem quamcunque ex rebus *Naturalibus* Temperamentum calidum & humidum molem sanguineam facile augens, calidum & siccum facile eidem impetum largiens: Habitus corporis quadratus apud *Dominic. Panarol. Pentec. 2. Observ. Medic. 11.* Aetas licet nulla sibi ab externis causis praesertim immunitatem spondere possit, juvenilis tamen ob causas varias periculo magis exposita videtur ex 3. *Aphor. 29.* Sexus virilis praemuliebri timere sibi necessum habet. Ex *Nonnaturalibus* Aer sanguini calcar & effervescentiam addendo efficax est, potissimum vernus 3. *Aphor. 20.* Cibus & Potus sanguinem augens, nimis attenuans, accendens, impetuosiores reddens, medicamenta similia, & secundum *Gregor. Horst.* litus crebriores in luis venereae curatione usitati l.c. nec non relaxantia nimis & aperientia medicamenta, in primis aloëtica, suspecta fiunt. Motus corporis partiumque nimii, nimia vocis in cantantibus, clamantibus, tubam inflantibus intentio, firma spiritus retentio in difficulter parturientibus, &c. strenuam operam locant: ita sublusu pilae palmariae juvenis infortunium hoc incurrit apud *Ambrosium Paracels. 6. c. 28.* ex saltu *Platerus l.c.* percussione baculi *Fehrius cent. 3. epist. apud Bartholin. med. 53.* arteriam disruptam notârunt. Ex concussione equi ferocientis idem expertus alius apud *Iohann. Schenckium l. 5. observ. medic. de tumor.* Alius ob motum nimium vomitorium apud *Iohann. Rhodium c. 1. observ. medic. 36.* ob sudorem in lue venerea toties repetitum *Horstius l. d. ex venere Rodericus à Fonseca 1. 2. consult. medic. 53.* nata anevrysmata viderunt. Nec de animi affectibus dubitandum, praecipue irâ, dum non raro furiosae bilis commotioni & sanguinis ebullitioni occasionem praebent.



bent. vid. *Ioseph. Quercetanus diet. polyhist. l. 1. per totum* & in specie c. 6. Inter P. N. plethoram, cacochymiam, evacuationum consuetarum suppressionem numeramus; *Lazarus Riverius* post melancholiā hypochondriacam anevryisma ortum memorat, c. 4. *observ. medic* 34. Idem relictum à vulnere in femore *Petrus Forestus l. 1. chirurg. observ.* 15. *Thomas Bartholinus c. 3. epist. medic.* 54. descripserunt. Omnium tamen, inter externas præsertim causas, efficacissima meritò judicatur infelix Chirurgorum error, dum vel arteriam pro vena, vel etiam cum vena pertusa arteriam subtus latitantem vulnerant, consolidationeque venæ & cutis factâ, vulnere arteriæ aperto relictò, sanguis sub interstitiis cutaneis sensim sensimque colligitur, & in tumorem hunc nostrum assurgit. Errori huic, ut ex mille exemplis pauca libemus, suam debuere originem funestum Neapolitanum anevryisma apud *Bartholin. tract. peculiar.* descriptum, nec non alia apud *eundem cent. 3. epist. med.* 53. *seqq.* plura *Gregorius Horstius l. c. Robertus Dodonaus l. c. Platerus, L. Riverius cent. 3. observ. medic.* 43. *observ. communic. à Dionys. Pomaret. observ.* 12. & qui non? suppeditant; consimiles enim casus infortunati proventu tantum non omnis dies profert, qui copiosas cumulant observationes.

X. Et hæc de tumoris anevrysmatici veri naturâ, subjecto & causis; cæteros enim hoc nomine autoribus hinc inde notos, qui non partes subcutaneas sed arterias ipsas pro subjecto habent, non apertas has aut ruptas secundum utramque tunicam, sed dilatatas solum arguunt, non sanguinem extravasatum, sed flatus distendentes, concretos in arteriis humores, carnosam, cartilagineam substantiam, solida alia obturantia offerunt, ceu spurios, loco hoc & consideratione nostrâ in-



dignos censemus. Illius ergò *Signa* nunc plenius prosequemur.

XI. *Diagnostica* itaque quod attinet, cognitu hæc non adeò facilia sunt, quòd non pauca cum aliis tumoribus communia sint, *Galenò* etiam fatente *l. c. de tumor. p. n.* ut vel ipsi subinde *Æsculapio* imponere possint, reique specimen Medici plures vota in contraria scissi circa anevrysmatis cognitionem egregium reliquere apud *Trincavellium t. 2. consult. medic 16.* Juxtà communem tamen consensum & experientiæ fidem *tumor successivè* ad materiæ jugi ex aperto vase motu sensim sensimque in vicina musculorum interstitia expulsæ molem *increscens* primò omnium comparet, sequitur *pulsus continuus* perceptu quidem magis facilis tumore nondum adeò aucto, qui in auctiori plerumque remittit, & bullientis quasi aquæ strepitum tactui & auribus nunquam mentitur, non rarò etiam sensibus se penitus ferè subducit circa partes præsertim duriores. Causa secundùm hypothesein nostram è longinquo petenda non venit; cùm enim jugi sub cordis systole motu spirituosum aperta arteria sanguinem in spatia subcutanea continuè expellat, quî non pulsum hunc extravasata licet, fluida tamen, materia continuè etiã sentiat, quî non à sanguinis continuò influentis motu continuè moveatur & ipsa? Ad exigui etiam rivuli ingressum, si fortè quem continuè influentis sanguinis paucitas offendit, in stagnantem aquam quietas undas moveri, quotidianâ experientiâ discimus. Major autem hic motus magisque sensibilis est in tumore minore, minor econtrà & quasi nullus aut ebullientis strepitum aquæ imitans illo majore & aucto: occupatis enim sub hoc tantùm non omnibus musculorum interstitiis liberum ampliùs spatium



tium non invenit humor, sed strepitum, quem diximus, cum perfectum pulsum formare nequeat, facit; contra, ubi magis libera omnia occurrunt. Sed & *digitis compressus* tumor facile cedit, denuòque his remotis surgit, non quòd fugiens comprimentes digitos sanguis intra ruptæ arteriæ tunicas redeat, contra potissimos ita opinantes: Naturæ enim, ne plura urgeamus, & arteriarum structuræ & officio contrarius hic motus est; sed quòd in subcutanea se spatia vicina materia abdat, unde digitis reductis subito regreditur: quod tamen iterum sub minore tumore foeliciùs fieri quàm in majore, experientia confirmat. *Thomas Bartholinus* recessum etiam materiæ intrà bivium tunicarum à se dissidentium secundùm *Galenum* indulget, imò ad venulas etiam vicinas transitum probabilem judicat, quod dictu quidem absonum non est; subitus tamen materiæ retrocessus stagnationem partis potissimæ abundè testatur, idemq; hîc fieri, quod compressio in tympanitide & ascite, distento à flatibus & aquis abdomine, fieri totâ die notamus.

XII. Quà prognostica, voto duriora sunt verba *Bartholini c. 3. epist. med. 54.* Anevrysmatis, scribentis, lætum exitum pauci spectârunt, adcò ægrè ferunt arteriæ habenas sibi laxari. Periculum tamen & difficultatem curationis limitant tumoris magnitudo, ætas, rupti vasis conditio, situs, materiæ qualitas. Magnus tumor causæ magnitudinem arguens & sanguinis effluxum impetuosiores incurabilis sine dubio censendus, inveteratus periculosus & tragico ut plurimum eventu funestus, qui non rarò per longiorem materiæ restagnationem ad gangrænosam putredinem & sphacelum ipsum viam sternit: exempla, re ad incitas has re-



daetâ, felicia, quorum unum prælaudatus *Fehrius* recenset apud *Th. Bartholinum l. c.* rariora sunt, teste experientia. Rupta majora vasa spem adimunt, ut enim difficilius hæc rumpuntur ob majorem tunicarum resistantiam, ita rupta consolidationem vix ac ne vix quidem admittunt, urgente præsertim perpetuo sanguinis erumpentis impetu. Internæ ruptiones periculosiores externis, quòd manum Medicam non admittant, & suffocando defectum virium & syncopen sanguine largiter profuso causando præsentem menentur & inferant mortem apud *Rodericum à Fonseca tom. 1. Consult. Med. 60.* *Petrum de Marchettis Observat. Medico Chirurg. 48.* Si nervis aut tendinibus implicitus tumor est, ut nec cultro nec manibus accessus detur, optimum sæpè remedium uti nullo remedio, aut tamen in palliativâ curâ acquiescere debemus; In collo nullum se curatum unquam vidisse testatur *Paulus Barbette prax. cap. 3. l. 2.* Post hæc famosa sunt capitis, pectoris, ventriculi, mesenterij, lienis, inguinum anevrysmata apud *Dodonaum l. c.* In artubus foelicius plerumque progredimur, præsertim ubi cura cum ipso statim affectu incipit; Nonnunquam tamen hujus etiam curæ spes in solâ partis abscissione consistit. Pars quoque curationis & interitus dependet à sanguine vel calidiore adeoque ad impetum promptiore, seu frigidiore & crassiore ad motum segni, secundum *Thomam Bartholinum l. c. epist. medic.*

XIII. *Curatio*, ad quam rectò tandem tramite deducimur, secundum Indicationes varias varia instituenta venit. Nimirum tumor sui ablationem, arteriæ apertio constrictionem & consolidationem, causæ singulæ sui remotionem, symptomata impeditionem aut mitigationem indicant. Arma ad singula pro viribus cura-



curatoriè & præservatoriè exequenda *triplex* consuetum *armamentarium Medicum* suggerit.

XIV. Quà igitur *Chirurgica* præsidia, si malum hoc ab infelici præsertim arteriæ vulneratione oritur, Medicusque ab initio statim adest, levi sæpè negotio curatur, & ab incremento præservatur, solâ, ubi locum habet, strictiori ligaturâ, quæ foramini vasis occludendo & sanguinis coërcendo impetui non rarò, in minoribus præcipuè arteriis, sufficit, suppositis vel tenui Saturni laminâ, cujus curationis specimen videre est apud *P. Barbettel. 2. prax. cap. 3. obs. 2.* aut, pro nostratium more, nummò æneò aut argenteò, quod idem olim experimentum apud Ægyptios visum *P. Alpinus de Med. Ægypt.* laudat, & continuatâ triduum ligaturâ hâc, remediò nullò aliò in subsidium vocatò, vulneratas omnes arterias curatas refert. Non nocet etiam, ex monito *I. Cæsaris Claudini & Frid. Deckeri notis ad P. Barbette, l. c.* in corpore præsertim plethorico, sanguine urgente impetuosiore, venam statim ad avertenda majora mala, aut revulsionis, ut loquuntur, gratiâ, secare, scopoque huic *Roderic. à Fonseca* etiam cucurbitulas scarificatas & ficas coxæ, dorso & lumbis in pectoris anevrysmate præcepit. Idem *Claudinus* duo alia maximè convenientia, ut vocat, proponit, unum brachiale ferreum parti, ubi potest, applicandum, cujus apparatus *loc. cit.* vide: alterum multiplicatam ustionem cutaneam ad locum affectum, ut cutis corrugetur. Ustionem etiam *Hippocrati, Dioscoridi & Alpino* olim celebratam & à seculi hujus *Chirone Marco Aurelio Severino* tantùm non omnium oblivione sepultam quasi ab orco foeliciter revocatam *Th. Bartholinus* commemorat, nec de eventu obvisa hinc miracula ab eodem *Severino* in tumoribus scir-



scirrhis gummatibusque syphyliaxis discutiendis & consumendis facta desperat *l. c.* Sed cum dolorifica sit, & quod magis ingrata repetitione indigeat, raro sine dubio ab ægris acutissimos, quos primâ operatione fenserunt, dolores abhorrentibus admittitur: in pectoris tamen anevrysmate *Rod. à Fonseca* vesicatoria coxæ, setaceum in scroto ob consensum pectoris & pudendorum secundum *Hippocratem* ad materiæ revulsionem suadet *tom. 1. consult. med. 60.* Spreto tamen igne itur ab aliis ad ferrum & arteriæ sectionem, quam *Præctici Antiquiores* tantum non unô ore inculcant omnes, modumque unum *Paulus Aegineta l. 6. c. 37.* prolixè describit, hincque *Andr. Paræus* mutuatus est *libr. 6. chir. cap. 28.* alium *Aëtius* explicat *tetrabibl. 4. sect. 3. cap. 10.* sed nec hæc ex æquo omnibus placet, quod cum sanguine animam effluxuram metuant, nec sine exemplis à *Paræo* & aliis notatis. *Barbette* operationem periculosam, dolorificam, laboriosam, & sæpè exiguæ utilitatis habet; consentit *Sennertus l. 5. prax. p. 1. c. 43.* nec *Claudianus* omni ex parte approbat *l. c.* Profecisse tamen aliquando insignium *Præcticorum* observationes docent; ut cæteros taceamus, vel unicus satis periculosus casus, quem *Fehrius* prælaudatus ad sinistram capitis partem, quâ carotidum transitus est, sectione curatum memorat in puero annorum 7. in præsens sufficiat, quod ossi læsæ arteriæ subjecto, unde arctissimè comprimi ad consolidationem potuerit, & tenellæ ætati, ubi tenera & coalitu adhuc facilia omnia sunt, idem tribuit *l. c. epist. med. Thom. Bartholin.* Nimirum anceps remedium certissimo vitæ discrimini, modò id recto rationis ductu non omnimodè destituatur, subinde præferendum, nec eadem arteriarum omnium ratio, nec harum ubique



que aut in omnibus apertio aut sectio statim cum vitæ periculo præsentissimo conjuncta est, consule Excellent. Dn. *Præsidis Disp. Chiriatr. de arteriotom.* Naturam ita ipsam ægris Medicorum destitutis ope aliquando succurrisse, loco sponte aperto apud *Riverium observ. à D. Pomaret. commun. 12.* & *Thomas Bartholin. l. c. epist. medic. 53.* abunde videre est, Sæpè tamen, ubi jam dicta non sufficiunt aut superare malum nequeunt, sed superveniens sensim extravasati humoris putredo gangrænam inducit & sphacelum ipsum, ultimum unumq; remedium sphacelatæ partis amputatione superest, enseque ita immedicabile vulnus rescindendum est, ne pars sincera & totum corpus in contagium trahatur. Triste quidem auxilii genus & tantum non ipsâ morte magis timendum, quod tamen necessitatis subinde casus Medicis invitis obtrudit, nonnunquam ægri per unius jacturam partis totius salutem redempturi sollicitatio exigat, utut sub spe & eventu ancipiti. Administrationis modus apud *Chirurgos* ubique notus.

XV. Non tamen omnis spes curationis in solo igne aut ferro quærenda est sed sua etiam eaque efficacia *Pharmacia* præsidia suppeditat. In principio statim laudem suam merentur fortiter adstringentia, emplastr. adruptur. *Augustan. I. Fernelij*, ex cortice ulmi coctum & sapâ exceptum, ceratum è scoriis ferri *Montagnanæ*; prodest etiam fots decoctionis scoriarum ferri in aceto, nec non aliorum adstringentium cum spongiâ aut spleniis imposita. *Horstius* suum laudat ex farinâ volatili, bolo armena, terr. sigill., pulv. consol. major. & similibus conflatum *l. c.* alii terr. sigill., bol. armen., sanguin. dracon., sperniol. croll. cum laud. op. in emplastri formam redigunt, & cum forti ligatione admovent. Aëtius empl.



de cupresso deprædicat in gutturis anevrysmate discusso-  
rium *l. c.* Nec inter postrema censendum, quod *Galenus*  
*5. m. m. 4. & 7. de cur. rat. per sang. miss. c. ult.* à se in-  
ventum jactat appositisque experimentis confirmat, ex  
thure, aloë, pilis leporinis c. album. ovi extractum, quò  
*Z. Lusitanus* immodicum ex gingivæ arteriâ sanguinis flu-  
orem *l. 1. prax. med. admir. observ. 91.* nec non incom-  
pescibilem ex jugularibus venis in anginâ acutissimâ se-  
ctis fluxum *l. c. observ. 95.* feliciter coërcuit. Plura  
vide apud *Hildanum l. c. Roder. à Fonssec. l. c. &c.*  
Quòd si sanguis in tumore contentus spissior jam factus  
& quasi grumofus videtur, ad imitationem *Hildani c. 3.*  
*observ. 44.* emplastrum de cicutâ non inutiliter præ-  
mittitur, antequàm adstringentia superiora & alia advo-  
centur. Non malè autem monet *Fonsseca* circa internum  
pectoris anevryisma, nisi in principio, & fortè in parvis ad-  
modum arteriis, medicamentis adstringentibus vel re-  
pellentibus externis morbum superari non posse, imò ab-  
stinendum ab his esse penitus, ne materia intrusa augeat  
difficultatem respirandi; nec reprimendum tumorem  
ligaturis, nisi lentè admodum; supra partem autem  
oxyrrhodinum tepidum apponendum esse. *t. 1. consult.*  
*60.* Ere ægri etiam est, ubi cacochymia indicat *c. Hil-*  
*dano & Horstio* universalem evacuationem instituere  
fervidiori, impetuosiori, tenuiori sanguini refrigeranti-  
bus, incrassantibus, alterantibus aliis necessariis occur-  
rere, nec non defensivis partibus vicinis debitis decenter  
prospicere.

XVI. Ad curationem *Præservatoriam*, præcipuè  
malo ab internis causis nato, ne pristinos sanguis mores  
denuò induat & recidivam faciat, convenit vere & au-  
tumno in dispositis venam secare, in cacochymicis e-  
vacuantibus, alterantibus aliis tempestivè occurrere.

XVII.



XVII. Cæterum nec dememinisse hîc oportet methodi, quâ Galli moderni anevryſma à V. S. inſœlici relictum vitriolicis blandè erodentibus optimè curant, referente ita *Dn. D. Michaele Ettmüller* MS. *Chir. de anevr. ſc.* tumorem in flexurâ cubiti aperiunt, arteriamque in ſuperiori brachii parte digito comprimunt, ut poſt aperturam nihil emittere poſſit: evacuâtô autem ſanguine ex tumore, foramini arteriæ globulos magnitudine piſi ex vitriolo Cyprio ad albedinem calcinato paratos imponunt bombace probe involutos, hinc inſpergunt vulneri pulverem ex thure & colophonio, replent cavitatem plumaceolis digeſtivo illitis, & ita convenienter vulnus ligant, plumaceolas ſuperficiales quotidie renovando, ut è labiis aperti tumoris pus evacuari poſſit, immotis interim relictis globulo huicque proximè adjacentibus plumaceolis, niſi cadant ſuapte ſponte. Sic fit, ut reſolutum ſucceſſivè vitriolum & liquefactum rodat nonnihil labia arteriæ apertæ, quæ corroſa ſimul adſtringuntur ab eodem, ut ſucceſſivè renovato quaſi arteriæ vulnere per nutrimentum proprium denuò conglutinentur; Si exciderit globulus, nondum ſufficienter conglutinatâ arteriâ, novus imponitur, donec ſcopus habeatur: hinc caro muſculorum vicinorum ſucceſcit, & tandem ulcus ex voto conſolidatur. Hæc *Autor.*

XVIII. Tandem *Dieta* quoque pro cauſarum conditione inſtituenda venit; Vitentur omnia, quæ ſanguinem augere, impetum eidem aut calcar addere nōrunt, cibus utatur æger refrigerantibus, increaſſantibus; vinum procul abeſſe jubeat, aut ſi aliæ id imperant circumſtantiæ *ὀλιγόφορον* ſit, ſubſtituatur verò decoctum chinæ, lentifci, cichorii; Alvus ſit humida, duriorque clyſteribus emollientibus, caſſiâ, tamarindis, mannâ, con-



confectione passulatâ, sollicitanda; Exulet Venus, motus corporis nimii declinentur, animi denique pathemata graviora, ira præsertim & similia eliminantur. Sic ubi curationis spes superest, Medici actiones benedice DEO felix coronabit successus, nec recidiva ipso primo malo tristior metuenda erit.

## I.

**S**ic finem studiij monstrat Thesis optime Frater,  
 Sic Labor assiduus præmia digna capit.  
 Sic tua provehitur velis felicibus ætas,  
 Summaque quo tendis gloria littus adest.  
 Sic Tibi pro meritis læti gratantur Amici,  
 In quorum vivet semper Amore fides.

Ita

Nobilij & Clarissimo Domino Respondenti Amico certissimo, de obtento felici studiorum fine gratulatur.

Commilitonum BIGA

JOH. PHILIPP CASPAR } Med. Cand.  
 M. JOH. ADAM OSIANDER } Med. Stud.

## II

**C**UM TIBI cura diu fuerit noctesque diesque  
 Quo salves ægros Arte Machaonia.  
 Quo Decus egregium, quo claram quærere famam  
 Posses, quæ nullo sit peritura die.  
 Contigit hoc Votis, Thesis hoc probat, ipsaque Praxis  
 Existat felix inde futura precor.

Ita

Amico Amicus gratulabatur.

JOH. GEORG BECHT, Med. Stud.

F I N I S.